

Quidam autem definiunt, quod sit illa (causa interna) per quam
 res est, id quod est. Coll. Conimbric. 1. *Phys.* c. 9. q. 10. art. 1.
 definit sic: Forma est actus simplex unum per se constituens cum
 materia. Suarez. *disp. Metaph.* 15. sect. 5. n. 1. sic definit: Forma
 est substantia quaedam simplex & incompleta, quâ ut actus mate-
 riæ cum ea constituit essentiam substantiæ compositæ. Aristoteles
lib. 2. Metaph. c. 2. eam dicit esse λόγον ὁ ἔτι ἢ εἶναι. Quibus ver-
 bis nihil aliud significat, quam formam esse rationem essentiae seu
 quidditatis, id quod Fonseca *lib. 5. Metaph.* c. 21. in hunc textum
 ita explicat, quod forma sit ratio quidditatis, quia quidditatem
 rei & cujusque definitionem absolvit, eamque ab aliis distinguit,
 vel ut explicat Pl. Reverendus Dn. D. Dreierus *Disp. Metaph.* 6. §.
 9. quia forma constituit rem in certa specie, & eam quidem, non
 ut separata existit, sed ut ἐνυλον εἶδῃ est, vocat παράδειγμα ὡς σκο-
 πὸν τῆς φύσεως, εἰς ὃν οὐ γνωστῶς ἀλλ' οὐσιωδῶς ἀποτεινομένη, πᾶν-
 τε ποιεῖ inquit Simplicius in 2. *Phys.* t. 28. Quanquam Dn. D.
 Petrus Musæus parte priori instit. *Met.* c. 19. §. 18. putat, Aristote-
 lem c. 1. non describere formam partis, quæ nempe est altera pars
 compositi à materia contradistincta, sed potius formam totius,
 quæ est tota rei essentia, id quod probat ex collatione textus præ-
 sentis cum textu 3. l. 2. *Phys.* Quia igitur definitio Aristotelica
 paulo obscurior est, idcirco ex B. Stahlii Philosophi acutissimi
 Tab. *Met.* 9. brevem & succinctam formæ definitionem adfere-
 remus, quæ talis erit; Forma est principium per unionem sui
 cum materia dans esse rei. Circa quam notanda veniunt (1.) quod
 principium dicatur; quia à forma dependet aliquid nempe com-
 positum, & vox principium stat loco generis. Est enim princi-
 pium velut genus omnium causarum. Dicitur (2.) quod forma
 det esse rei, hoc est causato suo, quod est compositum & idem
 quod vulgo dicunt, formam facere ex tali potentiâ tale actu. Ita
 v. gr. aqua, quæ in puteo ex terræ venis colligitur, potestate cali-
 da est, non actu; Si autem extracta ex puteo igni apponatur, ut
 calorem recipiat, tunc fit actu calida. Et lignum inelaboratum
 ac rude est potentiâ statua, cui si artifex formam statuæ inscul-
 pserit, ex eo fit actu statua. Hinc erit difficultas: Annon for-
 ma det esse materiæ? Quidam dicunt, materiam considerari posse
 dupli-